



CORNELII A LAPIDE

COMMENTARIA
IN
SCRIPTURAM SACRAM

1

BS1145

L3

v. 1

1891

85389

007677



EX LIBRIS

HEMETHERII VALVERDE TELLEZ

Episcopi Leonensis



1080014741

COMMENTARIA

IN

SCRIPTURAM SACRAM

R. P. CORNELII A LAPIDE

222.
L.

COMMENTARIA
IN
SCRIPTURAM SACRAM

R. P. CORNELII A LAPIDE

Æ SOCIETATE JESU,
SANCTÆ SCRIPTURÆ OLIM LOVANIÏ, POSTEA ROMÆ PROFESSORIS,
ACCURATE RECOGNOVIT AC NOTIS ILLUSTRAVIT
AUGUSTINUS CRAMPON,
DIOECESIS AMELIACENSIS PRESBYTER.

— 5 —
TOMUS PRIMUS

COMPLECTENS EXPOSITIONEM LITTERALEM ET MORALEM
IN PENTATEUCHUM MOSIS
GENESIS ET EXODUS

UNIVERSIDAD DE BUENOS AIRES
Biblioteca V. Alvarez y Talles



PARISIIS
APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM
13, VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 13
MDCCCXCI



85389

BS 1145
L3
V.1
1891



FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

1891

REVERENDISSIMO AC ILLUSTRISSIMO

DOMINO

HENR. FRANC. VANDER BURCH,

ARCHIEPISCOPO ET DUCI CAMERACENSI,

S. R. I. PRINCIPI, COMITI CAMERACESI.

Opportune, Deo ita disponente, accidit, Illustrissime Domine, ut quo tempore Archiepiscopus, et S. R. Imperii princeps Cameraci inauguraris, Moses hic meus tibi a primo sui conceptu destinatus, multisque nominibus debitus, in lucem ederetur.

Sciunt omnes quam arcta inter nos a multis annis fuerit animorum conjunctio, quam naturæ et affectionum, ac studiorum similium sympathia conciliavit, familiaritas auxit, Dei gratia in simili pene vita utriusque instituto firmavit, et perfecit. Quocirca Mechliniam a te ad Metropolitanam Ecclesiam, cui Decanus præsidebas, tanquam penitentiarius solemnioribus anni festis evocatus per multos annos tuo semper hospitio et convictu familiariter et liberaliter sum usus, donec Societas nostra in ea urbe et Novitiatum et Collegium collocavit. Verum quod dixit S. Joannes Baptista de Christo: « Illum oportet crescere, me autem minui, » hoc ego de tua Illustrissima D. et me ab olim, esto non sim vates, præ sagii; quod omnes evenisse reipsa cernimus, et gratulamur.

Cui vero aptius Moses hic conveniat quam Illustrissima D. T. qui Dei populo præes ut Dux ^{Moses} Ecclesiasticus simul et secularis, ut Antistes simul et Princeps; pariter ac Moses qui Hebræorum ^{dux et} Ecclesiam æque ac Rempublicam formavit, rexit, dirigit, atque ex ^{Pontifex} Egypto per avia deserta, perque innumeros hostes, incolumes imo victores ad terram promissam deduxit. Ecclesiam enim caeremonialibus, Rempublicam judicialibus, utramque moralibus decalogi præceptis a Deo acceptis instituit et gubernavit. In Mose ergo æque ac in Melchisedech, Abraham, Isaac, Jacob, aliisque priscis patribus utraque summa potestas, nimirum principatus et sacerdotii conjuncta stetit, ut quasi Princeps civilis, quasi sacerdos, Pontifex, et hierarchia sacra administraret; donec alterum, nimirum sacerdotium in fratrem Aaronem transtulit, eumque Pontificem consecravit. Quocirca Moses pastor fuit, primo ovium, deinde hominum, quos virga sua pastorali tot miraculorum operatrice, et a Pharaone vindicavit, et sanctissimis legibus utriusque fori moderatus est; non minus enim Rex et Princeps quam sacerdos et Pontifex pastor sit oportet, ins
causa prudenter Homerus Aga-

007577

memnorem regem vocat *πασιβία λαόν*, pastorem populorum, quod eos, ut pastor oves, non deglubere, sed pascere debeat.

Ergo, Illustrissime Domine, nobis Moses Belgicus esto, et Mosen hunc nostrum inspicere, ac, uti facis, moribus magis magisque exprime; ita populum Dei non in terram Chananeorum Judæis promissam, sed in terram viventium et in cælis triumphantium deduces, imo perduces, quod Moses facere non potuit.

S. Basilii
Moses
Viridiana
Fuit S. Basilius sui avi Moses, inquit illi compar B. Gregorius Nazianzenus, orat. *De Laud. S. Basilii*, et a Mose Mosen agere didicit. Fatetur id ipsemet S. Basilius, epist. 140 *ad Libanium Sophistan*: « Nos quidem, inquit, o præclare vir, cum Mose et Elia, similibusque beatis viris versamur, qui nobis barbarica voce doctrinam suam tradunt, et nos, quæ ab illis audivimus, loquimur sensu quidem vera, verbis autem rudia. » Quam Mosen triverit S. Basilius, docent vel soli libri *Hexameron*, quos ipse in Genesim Mosis ita elucubravit, ut eos transtulerit S. Ambrosius, atque non tam suum quam S. Basilii factum latinis auribus dederit in tract. *De Opere sex dierum*.

Mosis et
Basilii
studium
Testatur Ruffinus S. Basilius cum S. Gregorio Nazianzeno postquam Athenis eloquentiæ et philosophiæ studuissent, ipsos tredecim annos Mosis et sacris Litteris volvendis et meditandis operam dedisse. Norunt omnes quam impense, Illustrissime Domine, Mose et Sacra Scriptura delecteris, quam studiose, cum per occupationes licet, eam legere, volvere et perscrutari soleas: meministi quam multus de ea inter nos in mensa, cum tuo uterer hospitio, consueverit esse sermo: meministi nos uno prandio de eam aut duodecim capita Genesios lecitasse: atque plurimas tum difficiles circa ea quaestiones mihi proposuisti, quas ego ex tempore quantum ferebat memoria, resolvi: verum illas in hoc opere ab ovo et longo examine ac continuo filo diductas, explicatas et pertractatas videbis.

Præcipua
et nobilitas
Fuit Moses nobili Patriarcharum stirpe prognatus, et Abrahamæ abnepos. Abraham enim genuit Isaac, hic Jacob, hic Levi, hic Caath, hic Amram, hic Mosen.

Fuit et S. Basilius oriundus parentibus tam pietate quam genere illustribus, Basilio et Emelia, quæ et filium in eremum secedentem secuta est. Tuam prosapiam, Illustrissime Domine, virtute non minus, quam sanguine conspicuam tui cives suspiciunt. Avum habuisti Præsidentem Concilii Flandriæ, qui eo honore magna sua laude, et Reipublicæ gratulatione perfunctus est. Parens summi iudicii, et dexteritalis vir Præsides fuit primum magni Parlamenti Mechliniensis, deinde Concilii privati, qui in fide sui Principis in miris et magnis hisce Belgii fluctibus et turbinationibus stetit immotus et inconcussus, eamque ob causam Regi Catholico Philippo II, gloriosæ memoriæ, extitit charissimus. Atque maximis hisce honoribus et officiis plurimis annis perfunctus, quibus ingentes opes congerere potuisset, rem tamen familiarem non auxit, semper in bonum publicum intentus, ut sua privata negligere videretur.

Idem præstitit inclytus ille Angliæ Cancellarius et martyr B. Thomas Morus, qui in Republica quinquaginta annos versatus summosque gerens magistratus, annum tamen censum non auxit ad septuaginta aureos. Quinimo parens tuus res suas imminuit, et gravia fortunarum damna subiit, eo quod in obsequio Principis sui fidelis et firmus consisteret. Anno enim 1572, hæreticis ex improviso Mechliniam occupantibus, in carcerem infamem conjectus est, et multis molestiis affectus, gravem quoque fortunarum jacturam pertulit: et nisi subito Dux Albanus cum exercitu supervenisset, jam erat morti destinatus. Anno vero 1580, cum eadem urbs iterum ab hæreticis occupata fuisset, domus ejus rursus spoliata, omnisque suppellex

direpta, et insuper pro uxore, quæ fuga sibi consulere non potuerat, redimenda, multa milia florenorum dependere coactus fuit.

Moses non statim provolvit, sed per gradus ascendit ad imperium. Primis 40 annis in aula Pharaonis educatus fuit omni sapientiæ Egyptiorum, didicitque cum magnatibus agere. Secundis 40 annis pascens oves contemplationi se dedit: inde annum agens 80, populi pastoratum et ducatum adiit. Idem fecit S. Basilius, de quo S. Nazianzenus: « Cum prius, ait, sacros libros lecitasset, et eorum explanator fuisset, factus est presbyter ab Hermogene Episcopo Casarcensi, » etc.

Pari modo laudat S. Cornelium Pontificem Romanum S. Cyprianus, lib. IV, epist. 2 *ad Antonianum*: « Iste (Cornelius) inquit, ad episcopatum non subito pervenit, sed per omnia officia Ecclesiastica promotus, et in divinis administrationibus Dominum sæpe promeritus, ad sacerdotii sublime fastigium cunctis religionis gradibus ascendit. Tum deinde episcopatum ipsum nec postulavit, nec voluit, nec ut cæteri quos arrogantia et superbiæ suæ tumor inflat, invasit: sed quietus et modestus, et quales esse consueverunt qui ad hunc locum divinitus eliguntur, pro pudore virginalis conscientiæ suæ, et pro humilitate ingentis sibi et custoditæ verecundiæ, non ut quidam, vim fecit, ut Episcopus fieret, sed ipse vim passus est ut episcopatum susciperet. » Nonne hisce verbis quibus Cornelium, te quoque, Illustrissime Domine, tuosque virgineos mores depingit S. Cyprianus? Gradatim ad apicem sacerdotii conscendisti: Primo canonicum, et sacerdotem egisti non inertem et otiosum, sed familiaris religiose instituendo, confessionibus audiendis vacando, studiis incumbendo, psalmodiæ jugiter inhaerendo, consiliis æque ac elemosynis indigos adjuvando, hospitalitatis et misericordiæ operibus insistendo. Hæc innocens et pura æque ac charitatis et zeli plena vita omnium suffragia excivit, ut te in Decanum Metropolitanum Ecclesiæ Mechliniensis deligerent, quo loco quid præsteris etiamnum chorus et clerus Mechliniensis, qui toti Belgio virtutis et religionis est speculum, me tacente loquitur. Mox ab Illustrissimo Archiepiscopo Mechliniensi creatus es Vicarius generalis, quo in munere totam Ecclesiæ praxin pervidisti, et pertractasti ea fide, diligentia, gratia et dexteritate, ut ubique disciplinam Ecclesiasticam restitueres, auferes, sancires, dignus tanto magistro discipulus, qua in re illud fuit memorabile, te utriusque muneris ita exacte satisfacisse, ut nec chorus suum unquam Decanum, nec diocesis Vicarium requireret. Primus semper eras in choro, in media quoque hyeme, summo frigore, etiamsi peregre ex visitatione fessus domum redires, nullam corpori indulgens quietem. Hoc gradu ad episcopatum Gandensem a Serenissimo Archiduce nostro, qui in Prasulibus deligendis acriter et singulare adhibet iudicium, nec quidquam gratiæ, aut sanguini, sed totum virtuti concedit, evocatus es, in quo te ita eidem et toti Belgio probasti, ut jam ad archiepiscopatum non inviteris, sed pene cogaris.

Moses in deserto suæ perfectioni vacavit antequam ducatum capesseret, ut perfectus ipse perficeret alios S. Basilius Moses evangelicus idem præstitit. Sic enim de se scribit ipse epist. 79 *ad Eustachium*: « Inveni sane multos (ascetas) apud Alexandriam; alios in Palestina, et in Cælesyria et Mesopotamia, quorum admiratus sum tum in servanda diæta temperantiam, tum in obeundis laboribus tolerantiam; ad quorum obstupui præcandi vigorem et constantiam: cum observarem, quo pacto nec somno victi, nec aliqua alia naturæ necessitate deflexi, sublimem semper et invictum animi sensum in fame et siti, in frigore et nuditate servarent. Cum illa admirarer, vitamque virorum illorum ob id beatam judicarem, quod ipso opere se mortificationem Jesu circumferre declararent, cupiebam et ipse, quantum mihi

possibile esset, illos æmulari. » Æmulatus est, vitamque monasticam, imo angelicam ante episcopatum egit, quam ut imitaretur, utque S. Basilii consortio fruere, S. Nazianzenus asserit, quod ad eum in cretum se contulerit quasiturus, ait, remedium

Doloris ex amici consuetudine,
Plane viri divini, qui istic cum Deo
Sub nube agebat ut alter Moses :
Hic erat Basilus vivens cum angelis.

Atque hæc fuit causa S. Basilio, cur in solitudinem Ponticam ad ripam fris fluminis, ut ipse scribit *epist.* 79, se receperit, nimirum ut mores componeret, ut studio sacrarum Litterarum vacaret, ut cum angelis versaretur, ut modum alios regendi et perficiendi meditando condisceret, itaque nesciens ad episcopatum qui a Deo ei destinabatur, se compararet. In Pontica ergo solitudine velut in pharetra sua Deus S. Basilium et Nazianzenum quasi sagittas electas abscondit, ut eos spiritu ibi concepto plenos opportuno postea tempore educeret, quasi novos Joannes Baptistas ad faciendam vindictam in nationibus, et increpationes in populis.

Ante præsulatum, Illustrissime Domine, pariter solitudinem domi coluisti per multos annos simplicitati, pietati et perfectioni tui ipsius incumbens. Cum vero nuntium de episcopatu accepisti, extra domum per plures dies in secretum te abdidisti, ubi cum solo Deo ageres, futurum onus præciperes, difficultates et tempestates eminens quasi ex specula prospiceres, teque contra eas munires et armares, atque leges tum familiarum tum episcopatum pie et sancte administrandi tibi ipsi præciberes. Testis et particeps hujus tue solitudinis, et sanctorum desideriorum ac consiliorum ipse fui; plura non dicam, paream modestiæ tuæ, nec secreta mihi credita evulgabo; neque puduit te publice hunc secessum, hæc exercitia pietatis profiteri: atque hoc ipso, novo tuo exemplo plures ad te, imo ad Mosem, Basilium et Nazianzenum sequendum incitasti. Plures jam Episcopi, antequam episcopatum inirent, hac pia solitudine et rerum divinarum commentatione, ac oneris sibi impositi consideratione, ad illum magna sua consolatione, magnoque suo et Ecclesiæ bono se compararunt.

Scribitur. Moses sobriam egit vitam, nec tam cibo quam verbo Dei vixit, adeoque accepturus a Deo tabulas legis, his 40 dies sine cibo et potu, sola oratione et contemplatione vivens traduxit.

S. Basilus Moses Orientis præscam Monachorum abstinentiam sectatus est, eamque constitutionibus suis monasticis sanxit. De studio paupertatis et abstinentiæ S. Basilii ita scribit Nazianzenus in *orat.* jam sæpe citata: « Illi, ait, tunica una, et pallium unum, et humi cubatio, et balnei contemptus, et vigiliæ; et cæna suavissima, atque pulmentum illi erat panis, et sal, et potio sobria, quam nobis nihil laborantibus fontes proferunt. » Hinc ei vultus pallidus, et caro emaciata, ut solis fere ossibus et pelle constare videretur. Hinc illud ejus elogium: « pallor et macies decent virum religiosum. »

Basilium et imagine, et vultu, ac colore circumfers imo præfers. Pallor indicat et ornat abstinentiam tuam, quam omnes norunt et deprædicant. Ego oculatus sum testis et quotquot hospites tui fuerunt. Totas quadragesimas quotannis exigis ea cibi tenuis parcimonia, ut fere tantum pomis, radicibus aut leguminibus vescaris, ut mirum sit te in tot laboribus vigere, vitam et vires sustinere. Pisces æque ac ova natura tua aversatur: Deus a puero te quasi alterum Samsonem Nazareum sibi auctoravit.

Hæc scribo non adulando (nihil enim in hoc mundo ab Illustrissimo D. T. aut a quoquam

mortalium exspecto, quia nihil desidero), sed ut aliis sint in vitæ speculum, tibi in stimulum, ut cum magno illo Episcopo S. Paulo ad ulteriora extendas te ipsum, ad destinatum persequare, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu.

Moses vocatus a Deo ad ducatum tertio et quarto, ad indignationem usque Dei, nonorem et onus detrectans se excusavit *Exodi* iv: « Obsecro, inquit, Domine, non sum eloquens ab heri, et nullus tertius, et ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris et tardioris lingue sum: obsecro, Domine, mitte quem missurus es. » S. Basilus pariter fugit episcopatum Neocæsareensem, ut ipse scribit *epist.* 164. Similiter cum ægrotauti Eusebio Episcopo Cæsareensi amico suo fideliter ad mortem usque astitisset, eo mortuo mox abdidit se, deprehensus morbum simulavit, ac reluctans et renitens Episcopus creatus est.

Cum Vicarium ageres, onus excutere voluisti, ac secedere, tibi que et Deo vivere; idque reipsa perfecisses, nisi R. P. Provincialis noster, tuus olim in Philosophia præceptor, te ab hac mente abduxisset, ac persuasisset, ut colla oneri pio rursus supponeres.

Porro cum Serenissimus Archidux ab episcopatu Gandensi te transferre cogitaret, teque Archiepiscopum Cameracensem nominasset, bone Deus! quam indoluisti, quanto tempore detrectasti, quot effugia quasivisti, ac non nisi importunis multorum precibus et pene minis ac vi impulsus et coactus, ne Deo tot iudicis vocanti reluctari videreris, invitus munus suscepisti.

Fecit id ipsum præcedente sæculo orbe admirante Joannes Fischerus Episcopus Roffensis, illustris Angliæ martyr, qui ob incomparabilem doctrinam et vitæ innocentiam ad episcopatum Roffensem evectus est; cumque hoc beneficium tenuius postea pro viri tanti meritis videretur, et Henricus VIII ad amplius eum promovere vellet, nunquam adduci potuit, ut sponsam suam, tenuiorem quidem illam, sed Dei vocatione primam, et a se multorum annorum laboribus utamque cultam, pro locupletiori quacumque dimitteret, illud adjiciens, « se perbeatum futurum, si de hoc saltem minuto concedito sibi grege, deque non adeo inde magnis acceptis emolumentis, in die Domini recte respondere possit, cum et de bene curatis animis, et de recte expensis pecuniis tunc reddenda sit ratio exactior, quam mortales fere putent aut curent. »

Mosi hoc elogium dat S. Scriptura, quod fuerit mortalium mansuetissimus. S. Basilus Moses Christianus sua constanti benignitate vicit adversarios, uti de eo scribit S. Nazianzenus.

Tuam, Illustrissime Domine, humanitatem omnes mirantur, qua omnes comiter excipis, honorifice salutas, omnibus serenum vultum, sermonem, mentem exhibes. Hac ratione Gandensium animos in tui amorem attraxisti, scandala sustulisti, Ecclesiasticam disciplinam restitisti, Parochos solutioris vitæ vel correxisti vel amovisti, ut novus jam Ecclesiæ Gandensis nitor, imo splendor quasi novum jubar toto Belgio resplendeat. Sicut enim Belgium orbis, ita Gandavum Flandriæ et Belgii est ocellus, Caroli V invicti Imperatoris, ut alia taceam, natali clarus. Hinc illæ te per plateas transeunte plebis mussitantis voces: « En transit angelus. En angelus noster. » Sapientissima illa Dei providentia que totum mundum divine gubernat, teste Sapiente, « attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter. » Hanc imitaris, ut suavitate difficultates molles et penetres, fortitudine evincas. Itaque quidquid animo destinas, feliciter conficis, et ad exitum perducis. Merito ergo emblemata tuum esto: *Suaviter et fortiter.*

Mosis in populum dñm materna fuit charitas, adeoque pro eo optavit deleri de libro Charitas

Fuça de gita-tua.

Sanderus, lib II De Schism. Anglic.

Mansuetudo.

et salutis. vitæ. Hinc quasi nutrix illum per 40 annos in deserto pane cœlesti puta manna pavit : multo magis animis ejus ad Dei timorem et amorem inflammandis insudavit, patet id ex toto Deuteronomio. S. Basilii in suos studia et beneficia recenset Rufinus, lib. II, cap. ix : « Basilium, inquit, Ponti urbes et rura circumiens, desides gentis illius animos et parum de spe futura sollicitos stimulare verbis, et prædicatione succendere, callumque ab his longæ negligentia cepit abolere : subegitque abjectis inanum rerum et sæcularium curis, suimet notitiam recipere, in unum cõre, monasteria construere : psalmis et hymnis et orationibus docuit vacare, pauperum curam gerere, virgines instituere, pudicam castamque vitam omnibus pene desiderabilem facere. Ita brevi permutata est totius provincie facies. »

S. Basilio concionanti suggerentem sermonem columbam vidit S. Ephrem, columbam inquam, quæ index et hieroglyphicum est Spiritus Sancti, uti testatur Gregorius Nyssenus. Cogita ergo, qualis, quam zelosus et accensus fuerit ejus sermo? Famem publicam S. Basilii studio levatam testatur S. Nazianzenus : « Pavit, ait, omnes; et quonam pacto? Audi. Aperitis oratione sua et cohortatione locupletum horreis, facit quod est in Scriptura : Cibum esurientibus frangit, panibusque pauperes satiat, alitque eos in fame, atque esurientes animas implet bonis. Quo tandem modo? Cum famelicos in unum coegisset, nonnullos etiam spiritum ægre trahentes, viros, feminas, puerulos, senes, omnem ætatem commiseratione dignam : omnia ciborum genera, quibus fames depelli solet, corrogans, atque ollas pulmento plenas proponens : ac deinde Christi, qui linteo præcinctus discipulorum pedes nequaquam lavare gravabatur, ministerium imitans, simulque puerorum sive conservorum suorum ad eam rem opera utens, corpora pauperum animasque curabat. Talis erat novus noster procurator et secundus Joseph, » etc. Addit vero germanus ejusdem Basilii Gregorius Nyssenus, tum etiam S. Basilium patrimonium ipsum in pauperes erogasse.

Tuam charitatem, sollicitudinem, studia, officia in omnes deprædicant universi Pastores, et clerici æque ac laici. Plura templa, prædia et domos episcopales restaurasti, in hisce et similibus officiis non tantum proventus Ecclesie, sed et ipsa patrimonii tui bona expendisti. Charitatem tuam celebrant omnes pauperes, moesti et afflicti; hæc te natura incitat, propellit gratia; vere dixeris illud S. Jobi : « Ab infantia mea crevit mecum misratio, et de utero matris meæ crevit mecum. »

Dixisti mihi non semel, idque experientia ita esse deprehendi, nil te libentius agere, nihil magis esse volupe, quam hospitalia et domos pauperum ac miserorum visere, eos solari, juvare elemosinis, omnique misericordiae officio recreare. Experti sunt eam hoc anno Hannones et Montenses. Cum enim gravissima pestilentia lue, quæ multa eorum millia assumpsit, laborarent, nec malo sistendo ullum superesset remedium, misisti ad eos reliquias, corpus S. Macarii Archiepiscopi olim Antiocheni in Armenia, quod mox ut in urbem illatum est, lues quasi cœlitus reperussa cedere et minui cepit, nec cessavit decrescere, donec plane extincta fuit. Id omnes Montenses confitentur, et publice celebrant, ac in gratiarum actionem argenteam ipsanothecam S. Macario liberali sumptu erexerunt.

Moses Nazareus instituit, eis leges dictavit Num. v. S. Basilium cœnobarum Moses monasteria toto Oriente suscitavit, eisque constitutiones monasticas præscripsit. Arguebant eum hac de causa hæretici, quasi novarum rerum inventor exiltisset, quibus ille respondit, epistola 63 : « Accusamur, inquit, et hujus vitæ, quod homines habeamus monachos pietatis studiosos, qui mundo renuntiarint, et universis sæculi curis, quas Dominus comparavit spinis fertilitatem verbi impediuntibus : qui hujusmodi sunt, mortificationem Jesu corpore cir-

cumferunt, ac cruce quisque sua accepta Dominum sequuntur. Ego vero omnem vitam meam impenderem, ut mihi possent ista impingi delicta, haberemque apud me viros, qui me doctore hoc pietatis studium amplexi hæcenus fuerint, » etc. Subdit deinde ejusmodi Philosophiæ Christianæ sectatoribus esse referatas Ægyptum, Palestinam atque Mesopotamiam : quin et feminas ejusdem studii æmulas par vitæ institutum esse feliciter assecutas : quod sublime vivendi genus, cum jam apud se inciperet coalescere, optare, ut illud latissime propagetur ; cui quidem rei invidere, nihil aliud esse, quam diabolum ipsum superasse malitia, his, quæ subdit, verbis declarat : « Illud, inquit, vobis assero, et confirmo : quod quæ hæcenus pater mendacii Satanas non est ausus dicere, ea temeraria corda jam, et nullo retenta moderatio- nis fræno ora indesinenter, et cum summa licentia loquuntur. » Ex quibus perpende, quales habendi sint Religiosorum hostes hæretici, et perditii Christiani.

Tu, Illustrissime Domine, instituto et domo Religiosus non es, sed quod magis est arduum, in sæculo religiosam vitam agis : domus tua, familia tua ita composita est, ita religiosa, ut videatur esse monasterium. Unde hoc? nimirum quia, quod de S. Basilio ait Nazianzenus : « Basilii vita omnibus fuit canon vivendi, » in te quoque competit. Amicus es Societatis nostræ ac Religiosorum omnium qui veri Religiosi sunt, ac præsertim eorum, qui non sibi soli, sed et aliis vivunt, suamque operam animabus ad salutem dirigendis impendant.

Monasteria virginum toto archiepiscopatu Mechlinsiensi olim, et episcopatu Gandensi nunc a te ita crebro visitata, reformata, et sanctis ordinationibus erecta et directa sunt, ut omnes te quasi parentem colant, ament, et in te recumbant.

Moses Pharaoni ejusque Magis mira constantia restitit, hostes populi Dei quaquaversum sustinuit, vicit, domuit. S. Basilium Julianum Imperatorem apostatam debellavit et occidit : sic enim ex Helladio scribit Damascenus, orat. 1 *De imaginibus* : « Basilium, ait, pius astabat Dominae nostræ imagini, in qua etiam Mercurii celebris martyris figura descripta erat, astabat autem supplicans ut impius Julianus apostata tolleretur. Ex qua quidem imagine didicit, quid esset eventurum. Vidit enim martyrem ad exiguum tempus obscurum, non multo autem post hastam crevantem tenentem. »

Porro cum Valente et Arianois quam gloriosa fuere S. Basilii certamina? Modestus Valentis Præfectus, teste Nazianzeno, urgebat Basilium, ut religionem Imperatoris sequeretur. Abnuvit ille; tum Præfectus : « Nos qui hæc imperamus, quid tandem tibi videmur? Nihil sane, inquit Basilium, dum hæc jubetis; non enim personarum dignitate, sed fidei integritate christianismus insignitur. » Hinc ira accensus et assurgens Præfectus : « Quid, inquit, potestatem hanc non pertimescis? — Cur vero pertimescam? inquit Basilium, in quid fiet? quid patiar? » « Quid patieris? intulit ille, unum e tam multis, quæ meæ sunt potestatis. — Quænam hæc? subjunxit Basilium : fac enim intelligamus. — « Bonorum, inquit ille, proscriptioem, exilium, cruciatum, mortem. » Tum Basilium : « Si quid aliud habes, id mihi minitare : horum enim, quæ adhuc commemorasti, nihil nos attingit. » « Quonam modo? » inquit ille. « Quoniam, inquit Basilium, bonorum proscriptio obnoxius non est, qui nihil habet : nisi forte laceris et detritis hisce pannis indiges, ac paucis libellis, in quibus omnes mihi facultates et copiae sunt. Exilium autem haud cognosco, qui nullo loco circumscriptus sum : ac neque terram hanc, quam nunc incolo, meam habeo; et eam omnem, in quam projectus fuero, pro mea duco; imo, ut rectius loquor, universam terram Dei esse scio, cujus advena ego sum et peregrinus. » Audi majora et majores animos. « Jam tormenta quid accipere queam, cum corpore caream? nisi forte primam plagam dixeris : hujus enim solius penes te arbitrium et

Orat.
De laude
S. Basilii.
Orat.
citata.

Cap.
xxi, 18.

Religio.

Constan-
tia et
feditio-
do.

potestas est. Mors porro beneficii loco mihi erit : citius enim me ad Deum transmittet cui vivo, et munere meo fungor, maximaque ex parte mortem obii, et ad quem jampridem propero. Ignis autem et gladius, et bestia, et unguis carnem lacerantes, voluptati nobis ac deliciis potius sum, quam terrori. Proinde contumelias nos affice, comminare, fac quidquid collibuerit, potestate tua frueri; audiatur hæc etiam Imperator, nequaquam profecto nos vinces, nec efficies, at impiæ doctrinæ assentiamur, ne si his quidem atrociora miniteris. »

Hæc libertate fractus Præfectus adit Imperatorem : Imperator, inquit, ab hujus Ecclesiæ Antistite victi sumus, minis superior est, sermonibus firmior, verborum blanditiis fortior. Ignaviorum alius quispiam tentandus est. Quare recte Præfecto huic, qui postea agrotans coactus fuit exposcere Basilii auxilium, Cyrus Theodorus hæc versibus insultavit :

Præfectus es tu cæteris quidem omnibus,
Modeste, verum Basilio Magno subes.
Præesse quamvis gestias, subes tamen;
Formica sane es, rugias licet ut leo.

Theodoretus lib. IV, cap. xvii, hæc addit : Aderat, inquit, etiam quidam nomine Demosthenes eulinæ imperatoris præfectus, qui more plane barbaro orbis terræ magistrum Basilium reprehendit. At S. Basilius subridens : « Demosthenem, inquit, illitteratum vidimus. » Ubi vero ille majore exardescens iracundia minari cepit : « Tuum est, inquit Basilius, jusculorum curare condimenta : nam cum aures habeas oppletas sordibus, sacrosancta dogmata audire non potes. »

Tua pro fide et disciplina constantia, Illustrissime Antistes, ubique celebratur; vident enim omnes te non desistere, donec eam sancias, ac rebelles suaviter ad jugum Domini reduces, ut ipsi postea se manus dedisse, seque ita immutatos mirentur. Dictitant nonnulli iyngis et illicis tibi esse philtrum, eo quod cuivis quidvis persuadeas, nec cesses donec quemlibet in tuam sententiam, id est ad sanam mentem pertrahas. Multa dura hac in re devorasti, duriora adhuc devorabis, sed aderit Deus, dabitque ea superare.

Venerabilis. Moses ad patres abiens ingens populo sui desiderium reliquit, « flevuntque eum filii Israel in campestribus Moab triginta diebus. »

In morte et funere S. Basilii scribit S. Nazianzenus tantum fuisse lugentium, etiam Judæorum et Ethnicorum concursum, ut plures in turba obruti et extincti sint.

Quis tuorum Gandensium sit dolor tuum abitum quasi parentis obitum lugentium, tota urbs loquitur. Per compita hæc voces audiuntur : Eheu ! tanto viro digni non fuimus, peccata nostra hunc Antistitem nobis eripiunt. Ingens hoc Dei flagellum reputamus. Angelus noster abit, quis nos custodiet ? quis diriget ? Ex adverso quantus est planctus Gandensium te amittentium, tanta est exultatio Cameracensium te recipientium; lætantur Montes, exultant Valenceus, jubilat Cameracensium.

Magna hic tibi exurgit messis magno labore metenda : Parochiæ ad octingentas administrandæ; quot hic millia fidelium pascenda ? quot millia animarum salvanda ? Hic tua acuetur industria, charitas excitabitur, zelus ignescet : præsertim dum cogitabis et nunc cogitas illud S. Nazianzeni : « Basilius per unam Cæsareensem Ecclesiam toti præluxit orbi. »

Habes in Annalibus Ecclesiæ Cameracensis, quæ antiquissima est, et inter primas Belgii, Antistites ejus permultos Sanctorum catalogo adscriptos, qui mira sanctitate præluxerunt, quisque sua virtute et exercitatione sibi propria.

S. Vindicianus locis sacris construendis, et fidelium conventui adaptandis magnas opes et operas impendit : monasteria et templa potissimum erexit.

S. Liebertus « injurias cautissime, ait auctor Vitæ ejus, vitabat, æquissime ferebat, citissime finiebat : amorem pecuniæ certissimum totius spei suæ venenum esse credebatur : amicis utebatur ad rependam gratiam, inimicis ad patientiam, reliquis ad benevolentiam. » Hierosolymam discedens secum traxit ter mille homines, qui comitati eum sunt in peregrinationem. Ejus sanctitas miraculo claruit. Nam cani ejus post mortem redierunt in pristina juvenutis colorem et decorem.

Authertus mira humilitate et sanctimonia Cameracensibus et Hannonibus præluxit. Quare sub illo cepit in Christiana fide florere Hannonia, adscitis multis sociis in auxilium, ut S. Landehno, S. Gislano, S. Vincentio Comite Hannoniæ, et S. Waldetrude uxore Vincentii. Quapropter non raro ad S. Autherti colloquia percipienda veniebat Dagobertus Francorum rex. Tanto zelo effervuit ad convertendum unum peccatorem, ut præ lacrymis et penitentibus pene se consumperit. Hic etiam Sanctorum reliquiis decentissime ornavit.

S. Gaugericus adhuc puer fuit propensissimus in res sacras : plurimos reos miraculose eripuit e carceribus et vinculis, quæ gratia maxime excelluit. Templa multa exstruxit 39 annis quibus sedi præfuit.

Huic suppar fuit S. Theodoricus, cujus virtutes deprædicat Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus.

Item S. Joannes ejus successor, ab eodem Hincmaro celebratus.

S. Odo Cameracensis Episcopus tanta in Deum et Ecclesiam fuit fide et constantia, ut ab Henrico IV Imperatore pulsus a sua sede, quod virgam et anulum quæ consecratus ab Ecclesia acceperat, dono illius iterato accipere renneret, Aquincincti reliquo vitæ tempore exulavit, et in exilio hoc obierit.

Hæc tibi domestica erunt specula, hi stimuli ad gloriosos labores pro eadem Ecclesia exantlandos, ad gloriosos agones pro eadem fortiter obeundos. Perge ut cæpisti : cooperatores sinceri et strenui non deerunt, eos sagaciter selige, ac in sancti operis consortium invita et coopta. Mosen per omnia imitare, Basilium exprime. Divinam bonitatem precor, et precari non cessabo, ut utriusque spiritum copiosum et duplicem in te effundat, quo tot animarum millia tibi credita in Dei timore, cultu et amore pascas, atque ad beatam æternitatem perducas. Huc urget me amor et sollicitudo tuarum rerum, quam nosti.

Succisivis horis opus hoc lectitare licebit : spero, historiarum, exemplorum, rituum et caeremoniarum præscarum varietate et amenitate oblectabit, atque ex eo Mosen magis agnoscens ad ejus æmulationem magis incitaberis. Methodus mea hic eadem est quæ fuit in Paulinis, nisi quod hic verbis sum brevior, re amplior. Major enim hic est materiæ varietas et pulchris figuris ac symbolis decorata : quæ duo me compulerunt verbis parcere, ne opus nimis exresceret : quæ etiam de causa sculpturæ arcæ, Cherubin, altaris, tabernaculi, et aliorum peperci. Expressi hic ea quæ a viginti annis in Pentateuchum commentando, et secundo ac tertio eadem docendo comparavi. Allegorias solidas et jucundas veterum caeremoniarum passim attexui, conditas selectis præscarum sententiis, exemplis et apophthegmatibus. Movit me illud Poetæ :

Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci.

Verum ne Epistola modum excedam, de Mose et methodo plura dicam in proœmio.

Accipe ergo, Illustrissime Domine, hoc amoris et observantiae tum meae, tum Collegii Lovaniensis et totius Societatis nostrae erga te symbolum et tesseram; et quia jam hinc alio avocor forte in hoc mundo Illust. R. T. non visurus, hoc sit perenne mei apud te mnemosynon, ut corpore ad tempus absentes, spiritu semper praesentes post brevem et miseram hanc vitam Christo Domino nostro, cui omnis hic labor noster desudat, in caelesti gloria conjungamur, accipiamusque uterque, tu ample, ego pro meo tantum modulo, illud a Daniele promissum: « Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates. » Amen.

MUTIUS VITELLESCLUS.

SOC. JESU PRAEPOSITUS GENERALIS.

Cam *Commentarios in Pentateuchum P. Corneli Cornelli a Lapide*, nostrae Societatis Theologi, tres ejusdem Societatis Theologi, quibus id commissum fuit, recognoverint, et in lucem edi posse probaverint: facultatem concedimus, ut typis mandentur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, et sigillo nostro munitas datus, Romae 9 januarii 1616.

MUTIUS VITELLESCLUS.

FACULTAS R. P. PRAEPOSITI PROVINCIALIS

PROVINCIA FLANDRO-BELGICA.

Ego Carolus Scribani Societatis Jesu in provincia Flandro-Belgica Praepositus provincialis, potestate ad id mihi facta a Reverendo admodum P. N. Mutio Vitellesco Praeposito generali, concedo haeredibus Martini Nutii, et Joanni Meursio typographis Antuerpiensibus, facultatem typis mandandi *Commentarios in Pentateuchum Mosis, auctore P. Cornelio Cornelli a Lapide*, Societatis nostrae Theologo. In quorum fidem has litteras manu mea scriptas, et officii mei sigillo munitas dedi, Antuerpiae, 23 augusti, anno 1616.

CAROLUS SCRIBANI.

CENSURA.

Hic *Commentarius R. P. Corneli Cornelli a Lapide*, Societatis Jesu Theologi, est doctus et pius, ac omnibus modis dignus qui in publicum prodeat, ut omnes doctrinae avidos et erudiat, et in pietate promoveat. Quod testor 9 maii, anno 1615.

EGBERTUS SPITHOLDIUS,

S. T. L. Canonicus, et Plebanus Antuerpiensis, Librorum Censor.

Annotationes quibus *P. Cornelli a Lapide Commentarios in Pentateuchum* illustravit editavit Aug. CRAMON, presbyter diocesis Ambianensis,
Nil obstat quin imprimantur.

Datum Ambiani, 2 maii ann. 1839.

† JACOBUS ANTONIUS,
Ambian. Episc.

CORNELII A LAPIDE VITA ⁽¹⁾.

Cornelius Cornelii a Lapide, natione Belga, patria Eburo, Bucoldianus, honestis ortis parentibus, a primo rationis usu Deum colore cepit fide, spe et charitate; adolescens se in Societatem Jesu dedit anno salutis 1692, 8 juli; in ea ante juventutis egressum, sacerdos factus, quotidie sacram Hostiam, ad usque vite extremum, quasi jure sacrificium immolavit. Sacram linguam Lovanii, et divinas litteras plus annis 20 publice docuit, unde Romam a Moderatoribus accersitus, easdem ibi summa cum celebritate nominis complures annos interpretatus est, donec labori cedens totum se ad privatam scriptionem convertit; quo tempore quale instituerit vitæ genus, nullis aptius quam ipsiusmet verbis explicuero; ea ipse cum Deo loquens ita concepit: « *Hocce meos labores, et fructus, omnia studia, omnem doctrinam, omnem commentationem, tuæ gloriæ, o sacrosancta Trinitas, et trina Unitas, consecravi, optavique ut omnis mea actio, omnis passio, totaque vita non esset aliud, quam continua laus tua. Tu menti meæ ab olim te revelasti, ut te unum æstimarem, et quærerem, cætera omnia velut exilia, inania et fugacia flocciducerem, et fastidirem. Quocirca aulas et oras fugio: silentium et recessum mihi jucundum, aliisque non inutilem sequor cum S. Basilio, Gregorio, Hieronymo, cujus sanctam Bethleem ab eo in Palestina sollicite quæsitam ego Romæ inveni. Olim junior egi Martham, nunc in devexa ætate magis Magdalenam ago et adamo, memor brevis ævi, memor Dei, memor instantis æternitatis. Cellæ (quæ tibi fida, tota terra charior est, adeoque cælum terrestre videtur), et silentii solius sum incola, cellicola et sacri Musæi assecla, cellicola esse contendo, sanctæ contemplationis, lectionis, scriptionis, otium, imo negotium persequor. Deo uni et trino, ejus oraculis et inspirationibus excipiendis, meditandis, celebrandis incumbo; ad Christi pedes sedeo, ut ab ore ejus pendulus verba vitæ hauriam, quæ deinde in alios effundam. » Hæc ille senex agebat, et diuturnæ sanctitatis meritis cumulatus; nam ab ipso statim in Societatem Jesu ingressu, beatæ æternitatis perenni consideratione, ita est ad humanarum rerum contemptum et cælestium desiderium incitatus, ut ex eo nihil aliud, præter Christi perennem voluntatem, laudem et gloriam, in vita et in morte, in tempore et in æternitate intenderet; eam unam celebrare et promovere omnibus votis et studiis, omnibusque corporis et animi viribus, intenderet et satageret; nihil in hoc mundo a quoquam mortalium expectaret, nihil desideraret; hominum judicia et plausus non moraretur; soli Deo placere cupiens, et displicere timens, hoc unum spectaret, unum hoc postularet, huc omnis ejus lectio et scriptio, huc omnis labor desudaret, ut sanctum ejus nomen sanctificaretur, ejusque sancta voluntas fieret sicut in cælo et in terra. Ardentissimum martyrii subeundi desiderium ab ipso primo tyrocinio divinitus haustum, adeo semper retinuit, ut omnibus votis eam sibi lauream assidue efflagitaret. Eam pene jam manibus erat complexus, anno 1604, cum degens apud ædem Deiparæ Aspricollensem miraculis illustrem, haud Lovanio procul, et adventantes turmatim religionis causa mortales, per confessiones, conciones aliaque sacra officia adjuvaret, ab Hollandico equitatu improvise in eam incurrente ipso festo nati-vitatis Deiparæ die, cunctaque ferro et flamma vastante, circumseptus est, et tantum non captus et trucidatus; verum sacrosanctæ Eucharistiæ quam ex æde sacra, ne ab Hæreticis*

(1) Auctore P. Alegambe, *Biblioth. Scriptorum S. J.*

violaretur, efferebat, ac Deiparæ, quam voto nuncupato implorabat, ope, periculum non sine miraculi opinione discussum est; ipse mira providentia servatus incolumis. Cæterum quam nunquam illi exciderit cupido martyrii, satis ea verba declarant, quibus sanctos quatuor Prophetas, absolutò in eorum vaticinia Commentario, ita compellat: « O Prophetæ Domini, fecistis me prophetiæ vestræ et doctoralis laureæ participem; facite, quæso, et martyrii, ut et ego veritatem, quam a vobis hausi aliosque docui, et conscripsi, sanguine meo obsignem. Nec enim ante perfectus et consummatus erit doctoratus meus, nisi hoc sigillo pariter claudatur, a triginta prope annis vobiscum et pro vobis lubens, volensque continuum subeo martyrium religiosæ vitæ, et martyrium ægritudine, martyrium studiorum et scriptionis: impetrate, obsecro, mihi pro coronide et quartum martyrium sanguinis. Exhausi pro vobis spiritus vitales et animales; exhauriam et sanguinem. Omnis laboris mei per totos annos exantlati, quo vos Dei gratia explicui, illustravi, et novo sermone loquentes et prophetantes effeci, ac vobiscum quasi prophetavi, vestrum mihi quasi propheta stipendium, martyrium dico, a Patre luminum æque ac misericordiam obtineta. » Mox ad beatissimam Dei Matrem conversus, cui se suaque omnia deberet, a qua fuisset indignus ad sanctam Filii ejus Societatem vocatus, in ea miro modo directus, adjunctus, instructus martyrii se per eam compotem fieri postulat; deinde Dominum Jesum, amorem suum, pe. Genitricis et Prophetarum promerita obnixè efflagitat, ne inertem agat vitam, ne inertem in lecto mortem, sed ligno illatam, aut ferro. His consentanea fuere cæterarum ornamenta virtutum, quæ longius prosequi non est hujus operæ.

Nihil illo videri potuit mitius, nihil temperantius. Tam humili erat de se sensu in tanta doctrinæ atque omnium humanæ diviniæque sapientiæ vastitate, ut affirmaret: « Vere et in conscientia mea, stultissimus virorum ego sum, et sapientia hominum non est mecum; sum puer parvulus nesciens introitum et exitum meum. » Alibi quoque ita pronuntiat: « Jam pene a 40 annis sacro huic studio incumbo, a 30 annis nihil aliud ago, quin et continuo sacras litteras doceo, et tamen sentio, quam parum in eis profecerim. » Religiosæ severitatis adeo tenax fuit, ut ne quid illa caperet sua causa detrimenti, nollet sibi quidpiam eximium ad victum proponi, tametsi valetudine semper esset imbecillima, annis impedita, studiis Ecclesiæ Dei profuturis impensa, nec posset edulia, quæ cæteris apponebantur, conficere. Obedientia illi semper, et veritatis amor præ vita fuit. Hanc in omni scriptione primam habuit, illam vero ductricem ad proferendas scriptiones ad publicam lucem, quas alioquin æterno fuerat damnaturus silentio. His ille studiis sanctimoniam intentus, quum 70 superasset annos ætatis, debitum tandem naturæ solvit, in Urbe sancta, ubi semper optarat sanctorum ossibus sua miscere, die 12 martii, anno 1637. Cadaver auctoritate majorum proprio inclusum loculo, ut olim internosci posset, humatum est. Catalogus ipsius operum est, qui sequitur: *Commentaria in Pentateuchum Mosis*, Antuerpiæ 1616, rursus 1623 in-folio; in libros *Josue*, *Judicum*, *Ruth*, *Regum*, *Paralipomenon*, Antuerpiæ 1642, in-folio; in libros *Estræ*, *Nehemiæ*, *Tobia*, *Judith*, *Esther*, *Machabæorum*, Antuerpiæ 1644; in *Proverbia Salomonis*, Antuerpiæ et Parisiis apud Cramoisy 1635; in *Ecclesiasten*, Antuerpiæ 1638, Parisiis 1639; in *Sapientiam*; in *Canticum Canticorum*; in *Ecclesiasticum*; in quatuor *Prophetas Majores*; in duodecim *Prophetas Minores*; in quatuor Jesu Christi *Evangelia*; in *Acta Apostolorum*; in omnes *D. Pauli Apostoli Epistolas*; in *Epistolas Canonicas*; in *Apocalypsim S. Joannis Apostoli*.

Reliqui imperfecta in libros *Job*, et *Psalorum*.

CONCILII TRIDENTINI DECRETA

(SESSIO IV.)

I.

DE CANONICIS SCRIPTURIS.

Sacrosancta œcumenica et generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata, præsidentibus in ea eisdem tribus Apostolica Sedis legatis, hoc sibi perpetuo ante oculos proponens, ut, sublatis erroribus, puritas ipsa Evangelii in Ecclesia conservetur: quod promissum ante per Prophetas in Scripturis sanctis, Dominus noster Jesus Christus Dei Filius proprio ore primum promulgavit, deinde per suos Apostolos tanquam fontem omnis et salutaris veritatis, et morum disciplinæ, omni creaturæ prædicari jussit: perspiciscensque hanc veritatem et disciplinam contineri in libris scriptis, et sine scripto traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt: orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros tam veteris quam novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor, nec non traditiones ipsas tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel ore tenus a Christo, vel a Spiritu Sancto dictatas, et continua successione in Ecclesia catholica conservatas, pari pietatis affectu et reverentia suscipit, et veneratur. Sacrorum vero librorum Indicem huic decreto adscribendum censuit, ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint, qui ab ipsa Synodo suscipiuntur. Sunt vero infra scripti: Testamenti veteris: quinque Moysi, id est, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; Josue, Judicum, Ruth; quatuor Regum; duo Paralipomenon; Esdræ primus et secundus, qui dicitur Nehemias; Tobias, Judith, Esther, Job, Psalterium Davidicum centum quinquaginta Psalmorum, Parabola, Ecclesiastes, Canticum canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel; duodecim Prophetæ minores, id est, Osea, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias; duo Machabæorum, primus et secundus. Testamenti novi: quatuor Evangelia, secundum Matthæum, Marcum, Lucam et Joannem; Actus Apostolorum a Luca evangelista conscripti; quatuordecim Epistolæ Pauli apostoli: ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos; Petri apostoli duæ; Joannis apostoli tres; Jacobi apostoli una; Judæ apostoli una, et Apocalypsis Joannis apostoli. Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in Veteri Vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit, et traditiones prædictas sciens et prudens contempserit, anathema sit.

II.

DE EDITIONE SACRORUM LIBRORUM.

Insuper eadem sacrosancta Synodus, considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quæ circumferuntur, sacrorum librorum, quænam pro authentica habenda sit, innoscescat, statuit et declarat, ut hæc ipsa vetus et vulgata editio, quæ longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, præ-

dicationibus et expositionibus pro authentica habeatur : et ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat vel præsumat.

Præterea, ad coercenda petulantia ingenia, decernit, ut nemo, suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei, et morum, ad ædificationem doctrinæ christianæ pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimum consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat, etiamsi hujusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendæ forent. Qui contravererint, per ordinarios declarentur, et penis a jure statutis puniantur.

Sed et impressoribus modum in hac parte, ut par est, imponere volens, qui jam sine modo, hoc est, putantes sibi licere quidquid libet, sine licentiâ superiorum ecclesiasticorum, ipsos sacra Scripturæ libros, et super illis annotationes et expositiones quorumlibet indifferenter, sæpe tacito, sæpe etiam ementito prælo, et, quod gravius est, sine nomine auctoris imprimunt, alibi etiam impressos libros hujusmodi temere venales habent : decernit, et statuit, ut posthac sacra Scripturæ, potissimum vero hæc ipsa vetus et vulgata editio, quam emendatissime imprimatur ; nullique liceat imprimere, vel imprimi facere quosvis libros de rebus sacris sine nomine auctoris ; neque illos in futurum vendere, aut etiam apud se retinere nisi primum examinati probatique fuerint ab ordinario, sub pena anathematis et pecuniæ in canone a concilio novissimi Lateranensis apposita. Et, si regulares fuerint, ultra examinationem et probationem hujusmodi, licentiâ quoque a suis superioribus impetrare teneantur, recognitis per eos libris, juxta formam suarum ordinationum. Qui autem scripto eos communicant, vel evulgant, nisi antea examinati probatique fuerint, eisdem penis subjaceant quibus impressores. Et qui eos habuerint, vel legerint, nisi prodiderint auctores, pro auctoribus habeantur. Ipsa vero hujusmodi librorum probatio in scriptis detur, atque ideo in fronte libri, vel scripti, vel impressi authentice appareat : idque totum, hoc est, et probatio, et examen, gratis fiat : ut probanda probentur, et reprobanda improbanda. Post hæc temeritatem illam reprimere volens, qua ad profana quoque convertuntur et torquentur verba et sententiæ sacre Scripturæ, ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones impias et diabolicas incantationes, divinationes, sortes, libellos etiam famosos : mandat, et præcipit, ad tollendam hujusmodi irreverentiam et contemptum, ne de cætero quisquam quomodolibet verba Scripturæ sacre ad hæc et similia audeat usurpare, ut omnes hujus generis homines, temeratores et violatores verbi Dei, juris et arbitrarij penis per episcopos coercantur.

PRÆFATIO AD LECTOREM ⁽¹⁾

In multis magnisque beneficiis, quæ per sacram Tridentinam Synodum Ecclesia sua Deus contulit, id in primis numerandum videtur, quod inter tot latinas editiones divinarum Scripturarum solam Veterem ac Vulgatam, quæ longo tot sæculorum usu in Ecclesia probata fuerat, gravissimo Decreto authenticam declaravit. Nam, ut illud omittamus, quod ex recentibus editionibus non paucæ ad hæreses hujus temporis confirmandas licenter detorta videbantur, ipsa certe tanta versionum varietas atque diversitas, magnam in Ecclesia Dei confusionem parere potuisset. Jam enim hæc nostra ætate illud fere evenisse constat, quod S. Hieronymus tempore suo accidisse testatus est, tot scilicet fuisse exemplaria quot codices, cum unusquisque pro arbitrio suo adderet, vel detraheret. Hujus autem Veteris ac Vulgatæ editionis tanta semper fuit auctoritas, tamque excellens præstantia, ut eam cæteris omnibus latinis editionibus longe antefereudam esse, apud æquos judices in dubium revocari non posset. Qui namque in ea libri continentur (ut a majoribus nostris quasi per manus traditum nobis est), partim ex S. Hieronymi translatione, vel emendatione, suscepti sunt, partim retenti ex antiquissima quadam editione latina, quam S. Hieronymus Communem et Vulgatam, S. Augustinus Italam, S. Gregorius Veterem translationem appellat. Ac de Veteris quidem hujus, sive Italæ editionis sinceritate atque præstantia, præclarum S. Augustini testimonium exstat in secundo libro *De Doctrina Christiana*, ubi latinis omnibus editionibus, quæ tunc plurimæ circumferebantur, Italam præferendam censuit, quod esset, ut ipse loquitur, verborum tenacior cum perspicuitate sententiæ. De S. vero Hieronymo multa exstant veterum Patrum egregia testimonia : eum enim S. Augustinus hominem doctissimum, ac trium linguarum peritissimum vocat, atque ejus translationem ipsorum quoque Hebræorum testimonio veracem esse confirmat. Eandem S. Gregorius ita prædicat, ut ejus translationem, quam novam appellat, ex Hebræo eloquio cuncta verius transfudisse dicat : atque idcirco dignissimam esse, cui fides in omnibus habeatur. S. autem Isidorus non uno in loco Hieronymianam versionem cæteris omnibus anteposit, eamque ab Ecclesiis christianis communiter recipi ac probari affirmat, quod sit in verbis clarior, et veracior in sententiis. Sophronius quoque, vir eruditissimus, S. Hieronymi translationem non Latinis modo, sed etiam Græcis valde probari animadvertens, tanti eam fecit, ut Psalterium et Prophetas ex Hieronymi versione in Græcum eleganti sermone transtulerit. Porro qui secuti sunt, viri doctissimi, Remigius, Beda, Rabanus, Haymo, Anselmus, Petrus Damiani, Richardus, Hugo, Bernardus, Rupertus, Petrus Lombardus, Alexander, Albertus, Thomas, Bonaventura, cæterique omnes, qui his nongentis annis in Ecclesia floruerunt, S. Hieronymi versione ita sunt usi, ut cætera, quæ pene innumerabiles erant, quasi lapsæ de manibus theologorum, penitus obsoleverint. Quare non immerito catholica Ecclesia S. Hieronymum doctorem maximum, atque ad Scripturas sacras interpretandas divinitus excitatum, ita celebrat, ut jam difficile non sit illorum omnium damnare judicium, qui vel tam eximii doctoris leucrationibus non acquiescunt, vel etiam meliora, aut certe paria, præstare se posse confidunt. Cæterum, ne tam fidelis translatio, tamque in omnes partes Ecclesiæ utilis, vel injuria temporum, vel impressorum incuria, vel temere emendantium audacia, ulla ex parte corrumpatur, eadem sacrosancta Synodus Triden-

(1) Hujusce Præfationis præcipuus auctor Card. Bellarminus habetur, unus e selectis viris quibus Vulgatam bibliorum editionem a Sixto V correctam, denuo castigandi atque perficendi cura demandata est a Pontifice Maximo Clemente VIII. Eorum quidem congregationibus Summus Pontifex non aderat pressus, sed in his regulæ ab eo præscriptæ observabantur, imo ipse controversias omnes ac dubia dirimebat. Præfatio quoque, non secus ac ipsa Clementiniana editio, Pontificis probatione et quasi auctoritate commendatur. Cf. quæ de hæc re disseruit doctissimus Ungarelli in *Annali di Scienze religiose*, Roma.

tina illud decreto suo sapienter adiecit, ut hæc ipsa Vetus ac Vulgata editio emendatissime, quoad fieri posset, imprimeretur, neque ulli liceret eam sine facultate et approbatione Superiorum excudere. Quo Decreto simul typographorum temeritati ac licentiæ modum imposuit, et Pastorum Ecclesiæ in tanto bono quam diligentissime retinendo et conservando, vigilantiam atque industriam excitavit. Et quamvis insignium Academicarum Theologi in editione Vulgata pristino suo nitore restituenda magna cum laude laboraverint, quia tamen in tanta re nulla potest esse nimia diligentia, et codices manuscripti complures et vetustiores Summi Pontificis jussu conquisiti, atque in Urbem advecti erant, et demum, quoniam executio generalium conciliorum, et ipsa Scripturarum integritas ac puritas ad curam Apostolicæ Sedis potissimum pertinere cognoscitur: ideo Pius IV, Pontifex Maximus, pro sua in omnes Ecclesiæ partes incredibili vigilantia, lectissimis aliquot sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, aliisque tum sacrarum litterarum, tum variarum linguarum peritissimis viris, eam provinciam demandavit, ut Vulgatum editionem latinam, adhibitis antiquissimis codicibus manuscriptis, inspectis quoque hebraicis, græcisque Bibliorum fontibus, consultis denique veterum Patrum commentariis, accuratissime castigarent. Quod itidem institutum Pius V prosecutus est. Verum Conventum illum, ob varias gravissimasque Sedis Apostolicæ occupationes jamandum intermissum, Sixtus V, divina Providentia ad summum Sacerdotium evocatus, ardentissimo studio revocavit, et opus tandem confectum typis mandari jussit. Quod cum jam esset excusum, et ut in lucem emitteretur idem Pontifex operam daret, animadvertens non pauca in sacra Biblia præli vitio irrepisse, quæ iterata diligentia indigere viderentur, totum opus sub incudem revocandum censuit atque decrevit. Id vero cum morte præventus præstare non potuisset, Gregorius XIV, qui post Urbani VII duodecim dierum Pontificatum Sixto successerat, ejus animi intentionem excutus, perficere aggressus est, amplissimis aliquot Cardinalibus, aliisque doctissimis viris, ad hoc iterum deputatis. Sed eo quoque, et qui illi successit, Innocentio IX, brevissimo tempore de hac luce subtractis, tandem sub initium Pontificatus Clementis VIII, qui nunc Ecclesiæ universæ gubernacula tenet, opus, in quod Sixtus V intenderat, Deo bene juvante, perfectum est. Accipe igitur, christiane lector, eodem Clemente summo Pontifice annuente, ex Vaticana typographia, Veterem ac Vulgatam sacræ Scripturæ editionem, quanta fieri potuit diligentia castigatam: quam quidem sicut omnibus numeris absolutam, pro humana imbecillitate affirmare difficile est, ita cæteris omnibus, quæ ad hanc usque diem prodierunt, emendatiorem purioremque esse, minime dubitandum. Et vero quamvis in hæc Bibliorum recognitione, in codicibus manuscriptis, hebraicis græcisque fontibus, et ipsis veterum Patrum commentariis conferendis, non mediocre studium adhibuit fuerit: in hac tamen pervulgata Lectione, sicut nonnulla consulto mutata, ita etiam alia, quæ mutanda videbantur, consulto immutata relicta sunt: tum quod ita faciendum esse, ad offensionem populorum vitandam, S. Hieronymus non semel admonuit; tum quod facile fieri posse credendum est, ut majores nostri, qui ex Hebræis et Græcis Latina fecerunt, copiam meliorum et emendationum librorum habuerint, quam ii, qui post illorum ætatem ad nos perveerunt: qui fortasse, tam longo tempore identidem describendo, minus puri atque integri evaserunt; tum denique, quia sacræ congregationi amplissimorum Cardinalium, aliisque eruditissimis viris ad hoc opus a Sede Apostolica delectis, propositum non fuit, novam aliquam editionem cudere, vel antiquum interpretem ulla ex parte corrigere, vel emendare; sed ipsam Veterem ac Vulgatam editionem latinam, a mendis veterum librorum, nec non prævarum emendationum erroribus reparatam, suæ pristinae integritati ac puritati, quoad ejus fieri potuit, restituere; eaque restituta, ut quam emendatissime imprimeretur juxta Concilii œcumenici Decretum, pro viribus operam dare. Porro in hac editione nihil non canonicum, nihil adscititium, nihil extraneum apponere visum est: atque eâ causa fuit, cur liber III et IV Esdræ inscripti, quos inter canonicos libros sacra Tridentina Synodus non annoveravit, ipsa etiam Manasse regis Oratio, quæ neque Hebræice, neque Græcæ quidem exstat, neque in manuscriptis antiquioribus invenitur, neque pars est ullius canonici libri, extra canonicæ Scripturæ seriem posita sint: et nullæ ad marginem concordantiæ (quæ posthac inibi apponi non prohibentur), nullæ notæ, nullæ variæ lectiones, nullæ denique præfationes; nulla argumenta ad librorum initia conspiciantur. Sed sicut Apostolica Sedes industriam eorum non damnat, qui concordantiis locorum, varias lectiones, præfatio-

nes S. Hieronymi et alia id genus in aliis editionibus inseruerunt: ita quoque non prohibet, quin alio genere characteris in hæc ipsa Vaticana editione ejusmodi adjumenta, pro studiosorum commoditate atque utilitate, in posterum adiciantur, ita tamen, ut lectiones variæ ad marginem vicius Textus minime annotentur.

CLEMENS PAPA VIII.

AD FERPETUAM REI MEMORIAM.

Cum sacrorum Bibliorum Vulgatæ editionis Textus summis laboribus ac vigiliis restitatus, et quam accuratissime mendis expurgatus, benedicente Domino, ex nostra typographia Vaticana in lucem prodeat: Nos, ut in posteram idem Textus incorruptus, ut decet, conservetur, opportune providere volentes, auctoritate Apostolica, tenore presentium districtius inhibemus, ne infra decem annos, a data presentium numerandos, tam citra quam ultra montes, alibi quam in nostra Vaticana typographia a quoquam imprimatur. Elapso autem præfato decennio, eam cautionem adhiberi præcipimus, ut nemo hanc sanctarum Scripturarum editionem typis mandare presumat, nisi habito prius exemplari in typographia Vaticana excuso: cujus exemplaris forma, ne minima quidem particula de textu mutata, addita, vel ab eo detracta, nisi aliquid occurrat, quod typographice incuriæ manifeste adscribendum sit, inviolabiliter observetur. Si quis vero typographus in quibuscumque regnis, civitatibus, provinciis, et locis tam nostræ S. R. E. ditioni in temporalibus subjectis, quam non subjectis, hanc eandem sacrarum Scripturarum editionem intra eecennium prædictum quoquo modo, elapso autem decennio, aliter quam juxta hujusmodi exemplar, ut præfatur, imprimere, vendere, venales habere, aut alias edere vel evulgare; aut si quis bibliopola a se vel ab aliis quibusvis, post datam presentium, hujus editionis impressos libros, seu imprimendos a præfato restituto et correcto Textu in aliquo discrepantes, seu ab alio, quam a typographo Vaticano, intra decennium excusos, pariter vendere, venales proponere, vel evulgare præsumperit, ultra amissionem omnium librorum, et alias arbitrio nostro infligendas penas temporales, etiam majoris excommunicationis sententiam eo ipso incurrat: a qua nisi a Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo constitutus, absolvi non possit. Mandamus itaque universis et singulis, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis cæterisque Ecclesiarum et locorum etiam regularium Prælati, ut presentes litteras in suis quisque Ecclesiis et Jurisdictionibus ab omnibus inviolate perpetuo observari curent ac faciant. Contradictores per Censuras ecclesiasticas aliæque opportuna juris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ac in generalibus, provincialibus, vel synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus, ac quarumcumque Ecclesiarum, Ordinum, Congregationum, Collegiorum atque Universitatum, etiam studiorum generalium, juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, ac privilegiis, indultis, ac litteris Apostolicis in contrarium quomodocumque emanatis et emanandis: quibus omnibus ad hunc effectum latissime derogamus, ac derogatum esse decernimus. Volumus autem, ut presentium transumptis etiam in ipsis voluminibus impressis eadem, in iudicio et extra, fides ubique adhibeatur, quæ ipsis presentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensa.

Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IX novembris MDXCII, Pontific. Nostri anno I.

M. VESTRIUS BARBIANUS.